

tale est, quale vir fortis stolam indutus. Constante tibi pudicitia veritas salva est: nulli corpus tuum patientiae vacat, sed in manu tympanum est. Titulus itaque honestus eligatur, et inscriptio ipsa excitans animum ad ea repellenda, quae statim enervant, quum venerint, vitia. Quisquis ad virtutem accessit, dedit generosae indolis spem: qui voluptatem sequitur, videtur enervis, fractus, degenerans a viro, perventurus in turpia; nisi aliquis distinxerit illi voluptates, ut sciat, quae ex iis intra naturale desiderium sistant, quae in praecips ferantur, infinitaeque sint, et quo magis implentur, eo magis inexplebiles. Agedum, virtus antecedat: tutum erit omne vestigium. Voluptas nocet nimia: in virtute non est verendum, ne quid nimium sit; quia ipsa est modus. Non est bonum, quod magnitudine laboret sua.

XIV. Rationabilem porro sortiris naturam. Quae melius res, quam ratio proponitur? Et si placet illa junctura, si hoc placet ad beatam vitam ire comitatu, virtus antecedat, comitetur voluptas, et circa corpus, ut umbra versetur. Virtutem quidem excellentissimam omnium, voluptati tradere ancillam, nihil magnum animo capientis est. Prima virtus sit, haec ferat signa: habebimus nihilominus voluptatem, sed domini ejus et temperatores erimus. Aliquid nos exorabit, nihil coget. At hi, qui voluptati tradidere principia, utroque caruere: virtutem enim amittunt. Ceterum non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet: cuius aut inopia torquentur, aut copia strangulantur. Miseri, si deseruntur ab illa: miseriores, si obruuntur! Sicut deprehensi mari Syrtico, modo in sicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur. Evenit autem hoc nimia intemperantia, et amore caeco rei: nam mala pro bonis petenti, periculosest assequi. Ut feras cum labore periculoque venamur, et captarum quoque illarum sollicita possessio est, (saepe enim laniant dominos): ita habentes magnas voluptates, in magnum malum evasere, captaeque